



O D E



Qualis, heu! rerum facies! quis angor
Occupat frontes hominum? unde tantae
Totius Gentis lacrymae, dolendi
Omina damni?

Quid volunt voces querulae? quid urbis
Murmur infelix, ululantiumque
Ciuum planctus? quid ubique magni
Signa doloris?

En! diu nubes minitata fulmen
Frangitur; caelum patrium fragore
Intonat; Princeps ruit atque morte
Lumina claudit.

Saxonum Phoebus fugit, heu! relictus
Nocte sub tristi populus tremiscit,
Mille, turbatis animis, volutans
Irrita vota.

Dignus aeterno bonitate regno,
Linqvit AVGVSTVS populum thronumque,
Pace, quam nobis dedit, otioque,
Non fruiturus.

Qui vigil tantae fuit ante Gentis,
Eius aeternus sopor vrget artus,
Proh dolor! voces lacrymis repressae
Faucibus haerent.